VIRO
PERMAGNIFICO GENEROSO MAXIME
STRENVO ATQVE AMPLISSIMO DOMINO

DOMINO
CAROLO CHRISTIANO LANGE

PRAECONSVLI ET REI ECCLESIASTICAE CVRATORI
MERITISSIMO

PRIMVM PRAESIDI

NOVOS HONORES
DE
DEORVM NOMINE, MAGISTRATIBVS IN SCRIPTVRA SACRA IMPOSITO,
QVAEDAM COMMENTATVS

MVSARVM ELBINGENSIVM

NOMINE
DEVOTA PIETATE
GRATVLATVR
CLIENS HVMILLIMVS

GOTTLIEB THOMAS ACHENWALL
GRAEC. ET HEBR. LINGV. PROF. EXTR. ET R. MIN. CAND.

ELBINGAE
LITTERIS NOHRMANNIANIS.

Singularem sane meretur attentionem, Spiritum S. in oraculis suis Magistratus aliquoties vocare Deos. Notum quidem est, profanis etiam gentibus, Reges & Principes suos hoc nomine salutare, moris fuisse, id vero non adeo mirandum. Nomen enim Dei apud Gentiles tam augustum non erat, neque tam eximiam habebat notionem, quam apud cultores unius veri Dei. Illi quibus proprie ab Ethnicis imponebatur sive non erant, nisi, ut paulo sagaciores ipsi perspiciebant, homines, hominum gratia divinitate donati, sæpe etiam aliis hominibus, virtutibus inferiores, sive saltem homines conditione & natura non admodum antecellebant. Horum itaque nomen facile ad homines dignitate aliqua super alios elatos transferri potuit. At cum Viri, genuina summi Numinis idea imbuti, ab omni adulationis suspicione liberi imo divino spiritu impulsi & ducti, venerando hoc nomine Magistratus insigniunt, res non nihili pendenda, sed sedulo de ratione hujus denominationis inquirendum, dispiciendumque est, anne revera in munere Magistratus sit θεῖον τι *divini aliquid.*

Eminet vero inter loca hanc loquendi rationem continentia. Psalm LXXXII. Quem vir sanctus his sublimibus inchoat verbis: *Deus stat in congregatione Dei, in medio Deos judicat.* Iidem qui in priori Hemistichio vocantur *congregatio Dei* s. (pro genio Hebrææ linguæ ob penuriam adjectivorum substantiva loco illorum ponere solitæ,) *congregatio divina*, illi in posteriori vocantur אלהים (Elohim) *Dii.* Non enim reddenda est hæc vox per Nominativum sing. vertendaque propositio: *Deus judicat*, quoniam hoc sensu vocab. Elohim jam in priori Hemistichio versus occurrit. Quamvis enim per exergasiam in posteriori membro versiculi metrici ex parte vel etiam tota propositio, in priori contenta, repeti soleat, id tamen iisdem verbis fieri non consuevit. Adeoque Deus in priori membro per nomen Elohim indigitatus in posteriori eodem verbo indicari non potuit, sed alio sensu sumenda est hæc vox. Explicatur nempe per illam phrasis עדת־אל *congregatio divina;* pro more Poetarum sacrorum, dictiones paulo insolitas in sequenti parte versus Synonymis notioribus exprimentium. Notius enim erat etiam hoc sensu vocabulum Elohim, siquidem jam in Pentateucho aliquoties ita occurrit. Recte itaque LXX. hunc locum reddiderunt, vertentes ἐν μέσῳ θεοὺς διακρίνει, *in medio* (congregationis divinæ constitutus Deus) *Deos judicat.*

Loquitur ergo hic Psaltes de congregatione divina & de Diis a summo Deo diversis, his egregiis nominibus autem indigitat Judices. De his enim, ut contextus totius Psalmi & præsentim sequens comma docent, sermo est. At hoc nondum sufficit. Vers. 6. enim ipse Deus hunc consessum ita alloquitur: *Ego dixi: Dii estis.* Ipse ego, Dominus dominorum, ex quo omnis honor & gloria pendent & derivantur, vos hoc nomine dignatus sum, Ego vos in lege mea ita nuncupavi. Ablegant itaque nos hæc verba ad alia V. T. loca. Non enim tantum in oratione ligata, ubi hyperbolicæ loquutiones non adeo raræ sunt, atque ideo sensus hujus vocabuli non admodum premendus videri posset, sed in ipso simplicissimo scribendi genere hæc loquendi ratio occurrit. Leges enim planissimo stylo exarari solent & tamen in Pentateucho non semel judices vocantur אלהים, Dii. Exod. XXI, 6. nempe jubetur Dominus servi manumissionem deprecantis adducere eum *ad Deos* i. e. ad consessum judicum. Et cap. XXII, 8. postulat legislator divinus, ut lis super omne damnum feratur *ad Deos* & iterum v. 9. definit, eum quem *Dii* damnaturi essent obligatum iri, ad duplum damni restituendum. Reddunt quidem LXX. in posteriori loco vocabulum אלהים per singularem, *Deus.* At huic interpretationi non tantum obsistit, quod vox אלהים licet formæ

pluralis,

pluralis, raro tamen, si summum Numen indicat, construatur cum verbo in plurali, quemadmodum hic factum est, sed etiam sensus ipse, quem suppetit, incommodus. Non enim Deus immediate ejusmodi lites componere solebat sed mediate per Judices ordinarios, quare significatio hæc vocabuli אלהים ex aliis locis sat certa, jure hic rejici nequit.

Sunt & alia loca, in quibus nonnulli quidem hoc sensu positum esse vocabulum אלהים arbitrantur, alii vero forte non injuria dubitant. Cumque prolata sufficiant ad probationem, insigni hoc nomine appellari Magistratus, facile prætermitti possunt. At annotandum adhuc, in N. T. non minus, quam in V. hanc locutionem occurrere, græcumque vocabulum Θεός, Hebræo אלהים respondens, æque ac illud de Magistratibus usurpari, quamvis hæc dicta tam luculenta non sint, quin ex supra prolatis lux illis adfundenda esset. Joh. X, 34. 35. Sanctissimus Servator citat verba Psalm. LXXXII. supra memorata, dicens: Nonne scriptum est in lege vestra (vocabulo nempe legis tam late sumto, ut omnia scripta divina normam actionum tam moralium quam civilium & religiosarum continentia adeoque & Psalmos suo ambitu comprehendat) Ἐγὼ εἶπα, Θεοί ἐστε, *Ego dixi: Dii estis*, & in sequentibus ipse innuit, per hoc nomen indicari homines & quidem ut ex Psalmo ipso liquet, Judices & Magistratus. Huic addendus est locus Pauli 1 Cor. VIII, 5. adfirmantis Εἶναι λεγομένους Θεοὺς εἴτε ἐν οὐρανῷ εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς, *Esse Deos nominatos sive in coelo sive super terram*, & ad confirmationem addentis ὥσπερ εἰσὶ Θεοὶ πολλοί, *ut sunt revera Dii multi*. Indicat quidem alio sensu summum Numen, alio creaturas appellari Θεοὺς, adjecto nempe vocabulo λεγομένους docens, hos, quos concedit, plures Deos non natura tales esse, sed honoris causa ob similitudinem cum Deo ita appellari. Attamen cum affirmet esse ejusmodi Deos non tantum in cœlo, nempe angelos, sed etiam in terra, Magistratus & Judices in oculis habuisse censendus est, qui, ut allata testimonia docent, in V. T. aliquoties Dii vocantur. Apparet itaque, neque Græcum s. Scripturæ stylum ab hoc dictionis genere abhorrere.

Casu autem factum esse, ut Magistratus Dii dicentur, nullam habet veri similitudinem & quamvis credibile sit, jam ante consignationem librorum Mosis apud Israelitas in usu fuisse hoc Magistratuum nomen, quod inde effici posse videtur, quoniam in legibus eorum, in quibus sapiens Legislator tritam verborum significationem retinere solet, sine addita explicatione usurpatur; non sine ratione tamen Spiritum S. illud retinuisse sacraque civitate donasse, quisquam sibi persuadebit. Juvat itaque rationem hujus denominationis investigare, neque e longinquo petenda erit sed maximam partem ex ipsis oraculis divinis erui facili opera poterit.

Derivat nempe s. script. auctoritatem & jura Magistratuum ab ipso Deo. Ita enim 2 Par. XIX, 6. alloquitur Josaphatus judices designatos לא לאדם תשפטו כי ליהוה, *non homini judicatis sed Deo*, & Moses amice cum illo consentit Deut. I, 17. dicens המשפט לאלהים הוא, *judicium Deo fit.* In utroque loco præfixum ל quod alias est nota Dativi, vicem notat. Hanc enim significationem sæpe habet, e. g. Gen. XI, 3. ubi legimus, Aedificatoribus turris Babylonicæ lateres fuisse לאבן *lapidi*, i. e. vice lapidis, & Exod. IV, 16. ubi Deus dicit ad Mosen: Aaron erit tibi לפה *ori*, i. e. loco s. vice oris. Adeoque Josaphatus dicit: Judicium exercetis non vice hominis sed vice Dei, & Moses: Judicium vice Dei fit s. administratur. Res etiam ipsa proclivis est. Soli enim conditori creaturarum competit proprie jus atque potestas de actionibus illarum disponendi easdemque dijudicandi, & nulla creatura per se jure ejusmodi aliquid sibi sumere potest. Sed Deus ipse partem jurium, sibi proprie competentium, libere mutuo dedit & feudi instar obtulit hominibus quibusdam præstantioribus. Actus nempe judiciales, quos ipse in infantia mundi super Cainum aliosque recens creatæ terræ incolas exercebat, nunc aliis exercendos concessit. Quamvis enim pœnæ naturales, necessario vinculo cum peccatis ab ipso Deo conjunctæ, maneant, arbitrarias tamen raro hominibus, dum hic vivunt, immediate immittere videtur, sed mediate tantum id fit per alios homines, ejusdem quidem cum reliquis originis sed adventitia & divinitus superaddita auctoritate aliis longe superiores. Hi ergo, quos Judices & Magistratus vulgo nominamus jura divina exercent s. vicem ejus implent respectu partis cujusdam subditorum ejus, quare etiam eleganter Ps. LXXXII. tanquam judicium subdelegatum visitans repræsentatur. Hæc fuisse ratio videtur, cur Magistratus Dii dicerentur. Nomine Dei enim judicant atque ideo sunt Dii quasi Vicarii.

Sed latet in hac priori ratione altera non minoris momenti. Atque utramque conjunctim Theodoretus optime expressit scribens: τοὺς κριτὰς ὀνομάζει (Μωϋσῆς) θεοὺς ὡς κατὰ μίμησιν τοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ κρίνειν πεπιστευμένους, *Judices vocat* (Moses) *Deos utpote quibus ad imitationem Summi Dei judicium concreditum est.* Jura nempe ipsis concessa similitudinem cum Deo pariunt, similitudo vero duarum rerum in omnibus linguis

efficit.

efficit, ut eodem nomine insigniantur, quare mirum non est iis, quibus cum Deo similes sunt quodammodo adfectiones, idem etiam cum illo obtigisse Nomen.

Notabilis autem occurrit similitudo cum Deo in omnibus partibus muneris Imperantium. Quemadmodum nempe Deum tota creaturarum moles submissa obedientia & cultu veneratur, ita societates particulares Magistratus ut vicarios Dei honore prosequi necessario tenentur, adeoque radii quidam divinæ gloriæ in illis emicant atque quodammodo Majestatem summi Numinis, Legatorum instar magnitudinem Regum suorum referentium, adumbrant Magistratus. Auget hanc convenientiam potestas qua gaudent imperantes, leges subditis suis ferendi. Quemadmodum Deus totam rerum universitatem legibus suis gubernat, ita Magistratus hanc vel illam partem universi suis statutis dirigunt, atque ob hanc rationem eodem jure dicuntur Dii, quo Moses Exod. VII, 2. ab ipso Deo constitutus pronuntiatur Deus Pharaoni. Id enim fiebat ob concessam a Deo facultatem, jubendi ut Pharao Filios Israelis ex terra sua dimitteret, sicut docet vers. seq. Accedit potentia qua gaudent præ reliquis Magistratus. Deus enim qui illimitatam habet potentiam, transgressores legum suarum pœnis afficiendi, bonorum vero obedientiam remunerandi, omnibusque creaturis summa beneficia exhibendi, vicarios suos etiam hoc respectu quodammodo ad imaginem suam effinxit, concedendo nempe illis facultatem & potentiam ex una parte pœnas sumendi a refractariis, eosdemque malis physicis coercendi, ex altera vera bonos protegendi & concreditæ sibi provinciæ felicitatem promovendi. Et hæc similitudo quæ inter Deum & Magistratus intercedit, absolvitur & consummatur, si etiam bonitate referunt summum Deum. Quando nempe ad imitationem ejus potentia sua ita utuntur ut maxima, quæ obtineri potest, re vera promoveatur subditorum felicitas. Bonitate enim Deus maxime circa creaturas versatur seque conspiciendum præbet. Cumque potentia inter omnes homines emineant Imperantes, si & in hoc se ad exemplum Dei componere student, ut ubique documenta bonitatis & clementiæ suæ edant, evidentissimam pariter ac maximam omnium assequuntur cum Deo O. M. similitudinem.

Hunc similitudinis gradum assequutum esse Te, VIR PERMAGNIFICE atque AMPLISSIME, quilibet civium pia mente fatetur, Tuumque exemplum sufficere ad hanc loquendi rationem S. Sc. egregie illustrandam, omnes acclamant. Te enim non tantum ob rationes omnibus Magistratibus communes, sed ob illas etiam, quæ in paucis tantum obviæ sunt, hoc nomine dignum judicant. Te vidimus semper ad exemplar summi Regis dirigere actiones Tuas publicas, eodemque quo ille circa totum, te circa partem modo versari. Te vicem Dei feliciter gessisse, Te potestate Tua ita usum ut cuilibet suum tribueretur, ut insontes protegerentur & felicitas publica æque ac privata omnium civium promoveretur, testatur animis omnium inhærens pietas, testantur publica bonitatis, sapientiæ & curæ paternæ monumenta. Nullus enim est civium ordo, qui non grata mente recolat maxima sibi a Deo, Te mediante, exhibita esse beneficia. Templo sub Tuo auspicio exstructo cultuique summi Numinis dicato, religionem & Ecclesiam Tibi devinxisti. Claustrum aquæductus, undæ Nogati cursum temperans, magnum commercii patrii sustentaculum propugnaculumque ingentium camporum, feliciter restitutum, Cataracta aquæ molendinorum usui inservientis renovata, Gymnasium patrium restauratum & exornatum Te Camerarium prædicabunt seris posteris. Te Hospitalarem pio adfectu nominant, paterna providentia dignati pauperes, cara Christianis pignora. Sed quid aggredior. Rerum a Te egregie gestarum vel minimam partem enumeraturum, verba prius quam materia deficerent, Teque agentem digne prosequi laudibus non licet, nisi cui similes Tuis sunt ingenii dotes. Neque enim magna tantum sunt opera, quæ maxime celebrantur atque in propatulo fiunt, sed etiam, quæ oculis subtrahuntur.

Felicem itaque civitatem, in qua ad summos honores provehitur, qui sapientiæ & bonitatis tanta ab oculos jam posuit documenta! Felicem Rempublicam cujus regendæ gubernacula expertis manibus Tanti Viri conceduntur! Felices cives quorum sortis cura concreditur Viro tam probatæ virtutis, tam celebratæ prudentiæ, tam mirandæ industriæ! Felices etiam Musas, Tutorem & Mæcenatem suum frena reipublicæ capere videntes! Lætantur cives omnes exsultantque quimodocunque salutem Elbingæ desiderant. Te intuentur non nisi eximia virtutis testimonia videre adsueti, Sibique & Patriæ omne faustum, quod optant, augurari non dubitant. Te sospitem, Te precantur in columem, proque salute Tua ardentissima cœlum versus fundunt vota. His se adjungunt imo palmam præripere student Castalides, Te sospite, sospites etiam se fore, certo persuasæ.